



6

PROSPERANTE GLORIOSO!

IN

PHYSICAM SPERLINGIANAM

E NATURÆ PRINCIPIIS ASSERTAM,

ADVERSUS ARISTOTELICORUM

ERRORES

DISPUTATIONE I.

PHYSICÆ NATURÆ

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑΝ,

PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO, PRÆCELLENTI, AC PRÆ-

CLARISSIMO

DN. M. SIMONE FRIDER. FRENZELIO,

FACULT. PHILOSOPH. ADJUNCTO

longè meritissimo,

Et DECANO Spectabili,

DN. PATRONO, PRÆCEPTORE, ac PROMOTORE SUO

ÆVITERNUM COLENDO,

sistet publicè

BENEDICTUS SELLIEN,

HAMBURGENSIS.

Ad D. XVI. Septembr. Horis pom.


ANNO M. DC. LXIIX.

IN AUDITORIO MAJORI.

Verba programmatis Academici feralis

publica:

*Non omnis Sperlingius obiit, multa & melior superat
pars. Ingenio, Libris, famâ perdurat.*



WITTEBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



PHYSICAE NATURAE
PROEPTIA

BY M. SIMONE BRIDDER FRENZELLO

PHYSICAE NATURAE

PHYSICAE NATURAE





Ad Lectorem æquum & benivolum!

BIna effluxere lustra, elapso
modò mense Augusti, ex quo incom-
parabilis Naturæ mysta, & Physico-
rum seculi sui clarissimus, JOHAN-
NES SPERLINGIUS, inter purpu-
ram & splendorum Academiae illustris
fasces, humanis rebus exemptus, na-
turæ solvit debitum, & ad immortalitatem ex hac mor-
talitatis scenâ pleno concessit spiritu. Quantis prose-
cuta fuerit lacrymis tam fidum, tam acerrimum, labo-
ribusq; infractum Veritatis Physicæ assertorem ac vin-
dicem inclyta hæc Leucoris, condignis explicari verbis,
nullâ ratione potest. Quantis præterea, post fata ejus,
teneatur illa desiderii disertissimi & venustissimi oris
Doctoris hujus publici, ingenii Ejus divini, multoq; usu
subacti ac verè confirmati ad habitum clarissimum,
acuminis in judicando, solvendisque exquisitè & accu-
ratè objectos dubiorum nodos, tot scripta Leucorea,
tot exercitia publica, tot scholæ referunt, ad invidiam
usque, ore quasi unanimi, purissimum SPERLINGII
spirantes desiderium. Ita verò animam licet exspiravit
maturè adeò Noster, minimè exspiravit nominis ejus,
famæque consummatæ gloria, nec extincta cum suo in-
terprete fidelissimo, Veritas rerum naturalium: LU-
GENTEM accepit ille PHYSICAM & in squalore posi-
tam ob errores crassissimos, & inveteratos per pluri-

ma secula: GAUDENTEM reliquit, suisque natalibus redditam, ut extollere caput, & triumphos agere de falsitate, maximam partem rejecta, queat suo merito. Ita omen consecuta feliciter sunt publica verba Programmatis feralis, in titulo adducta:

Non omnis Sperlingius obiit: multa & melior superat pars: ingenio, fama, libris perdurat.

Perduravit, moderante Numine benigno, SPERLINGIUS, fama, cum in omnium versetur adhuc ore: ingenio, quod etiam nunquam mentes assiduas instituit, ac puriori doctrinam perfundit, olim plurimos, etiam ex remotissimis oris ad suas scholas trahente: libris, qui in singulorum teruntur manibus. Et licet gloria nominis doctrinaeque Sperlingianae multis modis tentata fuerit, ab aliis contradicentibus, cum maxime Clarissimo Physico in Academia Jenensi, JOHANNES ZEISOLDO, pertinace adversario & facile principe, etiam post fata Nostrum, in processu suo disputandi Sperlingiano sub finem promittente subinde, se orbi literato Philosophiam Sperlingii contradictoriam propositurum, stetit tamen gloria illa inconcussa hactenus, ZEISOLDO etiam prius naturae debitum solvente, quam promissa, jam dudum facta. Ego vero cum copia mihi Decano Facultatis Philosophicae detur, Candidatorum imprimis explorare ingenia, & experiri publice, mearum fore partium arbitratus sum, Veritatem Physicam esse monumentis Beatissimi Praeceptoris, a cujus ore totus pependi quindecim abhinc annis in scholis publicis privatisque, erueret, eruta confirmare ac tueri pro virili, missis prolixioribus ambagibus. Arrident mihi mens Doctoris mei,
quam

quam habet in *Medit. in exerc. Scal. 22. p. 557. Est mihi*
& aliis permissum, invenire aliquid, mutare, asserere, deserere.
Vilissimi est mancipii, inventis acquiescere, avitis in erroribus,
cunctorumq; plausu receptis, & ad nepotes transituris consene-
scere, atque inertem ac segnem immori. Veritatem ergo se-
ctabimur unicè: hæc nostra mera erit, hic finis. Sapien-
tia calica laboret nobiscum, ut procedat omne, quod suscipimus,
FELICITER!

THEOREMATUM

I.

PHYSICÆ doctrina est vel essentialis,
vel extraessentialis.

EVOLUTIO.

§. I.

Ita verò universa sistitur *Physica doctrina: Physica proponenda,*
ratione proponentis, doctrina; ratione discantis, doctrina evadit.
Illi quædam doctrina est essentialis, quædam extraessentialis sive
proëmiatis: Essentialis est ob Physicam: extraessentialis ob Physi-
cum: illa essentiam Physicam refert, & absolvitur corporis naturalis
causis, affectionibus, & speciebus, adeoque cognitione objecti genera-
li & speciali: hæc Physici emolumentum quærit, ac expeditur defi-
nitione ac divisione Physices: illa pertinet ad esse, hæc ad benè esse
Physicæ: illa necessaria, necessitate exigentia, & absolutâ, sine quâ
simpliciter Physica esse nequit: hæc utilis, aut necessitatem ex-
pedientia vel hypotheticam sibi vendicat, cum sine Prologis & Epilo-
gis Physica esse queat, licet non tam benè & commodè.

II. Quare *Physica quæ tali, & habituali nulla doctrina*
est essentialis, nulla extraessentialis; quin potius omnis doctrina
accidentalis: Non doctrina, non disciplina ad essentiam habitus
faciunt hujus, nec ullâ ratione eum definire possunt: Omnium
excellentissimus & primus Physicorum, Adamus nec doctus fuit
ab alio, nec doctor aliorum: nulla ibi systemata, nullæ institu-
tiones, nulla compendia, nullæ synopses.

ZEISOLDUS.

Confundere Autorem Physicam habitualem cum systemait-
ca hîc putat:

Cui SPERLINGIUS prolixius respondit in *defensione syno-
pseos* p. 13. 14. 15. 16.

II.

PHYSICA est scientia de corpore naturali,
qvâ tali.

EVOLUTIO circa definitum.

§. I. Vox PHYSICÆ in *Graciâ* nata, sed de se *adjectiva*
est: in *Latîo* educata, longoqve usu frequentata, naturam induit
Substantivi: descendit enim ἀπὸ τῆς φύσεως, à naturâ, cum na-
tura in Physica explicanda sit, non absolutè & primariò autores
Physicæ videndi: Res sunt tradendæ naturales, non verba, non scri-
pta hominum: scriptores dependent à naturâ, & rebus: non natu-
ra à Scriptoribus: *Physicus est concretum, physis abstractum*: con-
cretum ab abstracto dependet: *Liber naturæ* evolvendus ante
omnia, quem manu scripsit absolutissimum Conditor naturæ
gloriosus, de quo graviter *Titelmannus* ita: consideraverunt li-
brum hunc plurimi, & viderunt, quoniam esset foecundus nimi-
um, de libro hoc ediderunt libros sine numero: Non in scripta
Aristotelis jurandum aliusve hominis: Physicus sit naturæ in-
terpres, non scriptorum unicè, non librorum.

II. Præcognoscenda jam Physicæ significatio, & am-
bigua omnis tollenda è medio: Ignoti enim nulla cupido: igno-
ti non partialiter, sed totaliter, non modò notitiâ distinctâ, sed
& confusâ. Sumitur *Physicæ nomen*, vel in sensu generali, pro uni-
versa *Philosophiâ Theoreticâ*, quo de *Seneca* l. 1. pag. 89. *B. Sen-
nert*, in *Epit. scient. natur.* p. 5. *Magirus* in *Phys.* p. 6. *Sagittarius*
Phys. p. 2. adeoque complectitur, *Metaphysicam*, *Physicam*, *Ma-
thematicam*, ac de iis dicitur propriè: vel in sensu speciali, pro
parte Philosophiæ, & scientiâ, corpus naturale explicante, ut hoc
loco.

ZEI-

ZEISOLDUS

Autorem confundere putat acceptionem generalem & specialem, cum propriâ & impropriâ.

SPERLINGIUS

Respondit in Apologiae disputat. I. de naturâ Physicæ anno 1651. habitâ.

III. Æquipollentes præbet denominationes Physicæ & græca & latina lingua: illa inter præcipuas hæc habet, ut audiatur *Φυσιολογία*, q. de naturâ sermo, Ciceroni l. 1. de nat. Deor. *Φύσεως ἱστορία*: hæc partim proprias exhibet, ut naturalis scientia, naturæ explicatio l. 3. & 4. de fin. Cicero. naturæ cognitio l. 2. de divin. partim tropicas, ut naturæ venatio, naturæ obscuritas, l. 1. de Orat.

Ad conceptum genericum,

Qui est *scientia*: intellige (1) Scientiam, non in sensu nudo Logico, quatenus est effectus tantum demonstrationis: ita quælibet demonstrativa conclusio scientiam parit; sed in sensu Philosophico magis, quatenus est habitus ex principiis ortis de subiecto determinato suas formans conclusiones: quâ ratione involvit conclusiones demonstrativas. (2) Scientiam Totalem, ad quam Aristoteles ac Zabarella requirunt, subiecti principia, affectiones & species: non partialem, ad quam referuntur illa tria, subiectum, affectiones, & causa: cum affectiones de subiecto per causam demonstrantur: ut quantitas de corpore naturali per materiam, qualitas per formam. (3) Et hic conceptus est essentialis Physices, ac prædicatur in quid de definito, quia & nomen & ipsa ratio quidditativa tribuitur verè Physicæ: est latior, cum & Pneumatica, & Mathesis sint scientiæ; est proxima, cum sine interventu alius generis subalterni sub se comprehendat Physicam: remotus fortè erit habitus intellectualis theoreticus, remotior qualitas, remotissimum accidens: est denique in eadem categoriâ cum definito, in primâ scilicet qualitatis specie, habitu.

Ad

Ad conceptum differentialem:

§. I. Qui accersitur ab *objecto*: non operationis, sed traditionis: non partiali, quale foret homo, brutum, planta &c. sed totali, totius enim Physicæ tradenda definitio, non anthropologia, Zoologia, Phytologia: non perfectionis, quod est homo, sed adæquationis, quod est *corpus naturale, quæ tale*: corpus in modum totius, non partis sumptum, quo sensu materia quædam corporis, sive corpus organicum nuncupatur corpus.

II. Hoc ergo est subjectum genuinum Physicæ, sive objectum: quanquam præ aliis hinc distingvere nitatur Zeissoldus in *Instit. Phys. in præm. pag. 3.* inter objectum & subjectum: objectum dicitur in ordine ad habitum, est enim quasi scopus, in quem tendit: subjectum verò dicitur per ordinem ad passionem, quæ de illo demonstrantur in scientia: subjectum scientiæ propriè est subjectum conclusionis demonstrandæ: objectum verò id, quod solum, & immediatè terminat actum sciendi: Et sic subjectum est pars objecti. Conveniamus verò in nomine trito, si in re convenimus: Hoc objectum Scientiæ tanquam generi additum, Physicam non modò constituit, sed & ab omnibus aliis disciplinis distingvit. Esse enim habitus cujusdam proprium at specificum, à proprio dependet objecto: & differentia ab eo descendit unicè.

III. *Objectum* ergo hoc *Physica*, quod est *corpus naturale quæ tale*, resolvitur in duo frequentata momenta, quorum alterum est *res considerata, entitativè sumpta*, seu materiale, Scholasticis *ratio quæ dicta*, & est *corpus naturale*, corpora simplicia & composita, adeoque omnes species referens: alterum est *modus considerandi* seu formale, Scholasticis *ratio sub quæ dicta, quæ tale*, hoc est, quæ naturales habet causas & affectiones, adeoque spectans illa, quæ corpori in hoc statu per se competunt: *quæ quæ est terminus reduplicans*: per eum enim *ratio* denotatur, sub quæ corpus naturale spectandum est: spectat Metaphysica corpus, quæ Ens, Pneumatica animam quæ spiritum, Mathematica cælum, terram, stellas, quæ quanta, Medicina hominem, quæ sanabilem: Physica sub eâ ratione, quæ naturalia illa sunt: Non *specifi-*

cificans autem terminus adeò est, quia propositio illa: corpus naturale, quò tale, subjectum Physicæ est: convertibilitatem & immediationem prædicati cum subjecto, nec nudum adeò modum infert: sed ut Metaphysica circa Ens, quò Ens, Pneumatica circa spiritum, quò talem, Matheſis circa quantitatem quò talem occupatur: ita Physica circa corpus naturale, quò tale.

III. Hoc objectum est conceptus realis, suis essentialibus constitutivis & modis contrahentibus affectus, qui in nullâ disciplinâ habet se per morem constituentis, consequentis vel contrahentis essentialiter: Ea est *ratio quidditativa* objecti veri, adæqvati, totalis, ex quâ resultant requisita corpori naturali merito applicanda: Est enim *unum*, ex cuius veritate habitus unitas specifica dimanat: est *adeqvatum*, nec latius, nec angustius: *Fundamentum* est omnium in Physicâ tractandorum: Omne enim, quod evolvitur in eâ, aut est *principium constituens* objectum, ut *causæ*, vel *affectio denominans*, ut affectiones unitæ, disjunctæ, intrinsecæ, extrinsecæ, vel *modus contrahens*, ut sunt *corporis species*.

III.

Causas internas, materiam & formam, Physicæ natura haud admittit.

EVOLUTIO.

§. I. *Causæ internæ sunt materia & forma: datur Physicæ materia circa quam, quæ est ipsum objectum, corpus naturale; datur materia in quâ, quæ est subjectum, formam recipiens istam accidentalem: Accidentis enim esse est inesse: ergò & Physica requirit subjectum inhesionis: uti forma substantialis subjectum informationis: sic omnis materia est subjectum suæ formæ: Uti corpus plantarum animæ vegetativæ, corpus brutorum sensitivæ, hominis rationalis animæ: Physicæ verò subjectum immediatum est intellectus, facultas animæ princeps, cum sit habitus intellectualis, mediatum anima rationalis, utrumque subjectum quò: subjectum quod homo, qui à Physicâ, tanquam formâ, denominatur Physicus.*

B

II. Ma-

II. *Materia* verò ex quâ est principium internum, è quo res fit & constituitur, quæ solis substantiis corporeis propria est, nulli accidenti, nec immateriali, nec materiali communis: Illa materia productionis est vel compositionis: semen in generabilibus est materia productionis, corpus ipsum compositionis: Accidentia nec generationis, nec constitutionis materiam obtinent: essent enim substantiæ, essent corpora. Nihil datur, ex quo Physica fiat, nihil, ex quo constituatur: est qualitas immaterialis, quæ nec fit, nec componitur ex materiâ: est habitus mentis, quam materia haud intrat. Dependere à subjecto in fieri & esse, non reddit materiam ex quâ, sed in quâ, seu subjectum inhaesionis: Anima non est materia productionis seu generationis habituum, cum non in eos mutetur, ut forma in corpus. Quærentibus ergò, an ex nihilo, an ex aliquo Physica sit, rectè *Thummius* respondet: Accidentia spiritualia habitus scilicet animæ rationalis, nullam præ-existentm materiam habent: citatus à *B. Sperlingio* in *Exerc. 2. pag. 10.* explicante illa fufius, & rejiciente falsa accuratius.

III. Denegatâ materiâ ex quâ Physicæ, negatur & forma, quæ est principium internum, cum materiâ constituens compositum: Propria illa forma est substantiis corporibus, non communis accidentibus: quare nec *forma Physicæ* datur, licet sit *forma Physicæ*: forma corporum simplicium & compositorum inanimatorum & animatorum, vegetativa, sensitiva & rationalis: Physica ipsa est *forma accidentalis*, perficiens subjectum *perfectio- ne accidentali*, haut *essentiali*: sunt, qui distinguunt inter formam *substantialem* & *accidentalem*: *substantialem* hîc negant, *accidentalem* ponunt in ordinatâ & aptâ dispositione præceptorum Physicorum menti inhaerentium: sed dispositio illa non ad Physicam spectat habitualem, quæ in animo est, non libro: quæ qualitas est, non quantitas, ens per se, non per aggregationem. Est Physica sine præceptis, sine dispositione, cum à rebus veniat, à quibus fiunt conceptus, qui interdum verbis, interdum literis exprimuntur, interdum sine verbis, sine literis retinentur.

COROL.

COROLLARIORUM

I.

Per sapientiam secundam universa scientia Physica indicatur, non modò ejus pars.

WATSONIUS

In unionis sapientia Phys. p. 338. & 339. hæc habet: Sapientia secunda vulgari, sed minus communi aptoq; nomine vocatur Physica, non enim universa hæc scientia isto vocabulo indicari potest, at tantum pars ejus. Liberè satis dicit hæc ille, & sine ratione: Sapientia secunda est habitus conclusionum ex principiis ortis de subiecto determinato factarum: est ergò essentialis Physicæ, nec modo universam refert, sed & aliis scientiis applicari potest.

II.

Physica existentiam negare, est existentiam corporis naturalis negare.

ACADEMICI ET SCEPTICI

Olim negârunt eam, vel dubitârunt de eâ, agentes contra totum naturæ librum, contra seipfos: Quos Scepticos ad certam existentia rerum naturalium cognitionem deducere sustinuit. CARTESIUS, per 6. meditationes, ubi à probatâ sui existentia, eò quod dubitat, cogitet, ad probandam Dei existentiam progreditur, ex ideis sibi innatis, & imperfectione sui: colligit hinc se à seipso esse non posse, sed ab alio, & à Dei omnipotentia rem materialem possibilem esse, donec in mente suâ ideam materiae deprehendat. Hæc Cartesiana principia.

III.

Physica non est scientia corporum naturalium, quâ talium.

JOACHIM. BURSERUS

Comment. Lusat. Prof. Phys. in Regiâ Soranâ in introductione ad scientia natur. proœm. vulgatam esse tradit definitionem Physicæ: At placeat vulgo: displicet accuratioribus: Corpora naturalia constituunt Ens non per se unum, sed aggregativum, quod in scientiam nullâ ratione cadit.

M. SI-

M. SIMON FRIDERICUS FRENZELIUS,

Facult. Philos. Adj. & Decanus,
Ad Politissimum

BENEDICTUM SELLIEN,

Amicum admissionis interioris, Philosophiæ
Candid. dignissimum.




Vum non ita pridem ingenii Tui florem
explicueris in publico, & cum Deo, de
Deo, me arbitro, promptè ac expeditè e-
differueris, gratulat̃ TIBI sum ex animo, & fru-
ctum uberrimum studiorũ Tuorum haut ex va-
no ominatus sum. In præsens ex sublimiori disci-
plinâ descendis in proximã illi, & Physicam jun-
gis Pneumaticæ, ordine pulcerrimo, & exemplo
laudabili. Veritatem sectaris Physicam & admi-
raris non sine ratione Interpretem ejus, dum vi-
veret, assiduũ pariter ac fidelissimum, SPERLIN-
GIUM incomparabilẽ: Maacte illis dotibus divini-
tus concessis! Maacte Tuã virtute, & diligentia
mibi per longum satis temporis spatium probata!
Manet TE præmium, meritis his condignum, &
brevis corona Tua tempora cinget, me diribitore.
Vale, et ate, ingenio, studiisq̃, florentissime SEL-
LIEN, & rem Tuam age feliciter! Dab. ex Mu-
sæo meo d. 15. Sept. A. 1668.

••• (o) :•••

Nov. 2000 ^{8d.}







6

GLORIOSO!
V
ERLINGIANAM
PIIS ASSERTAM,
TOTELICORUM
RES
TIONE I.
NATURÆ
ΩPIAN,
SIDE
ÆCELLENTI, AC PRÆ-
SSIMO
IDER. FRENZELIO,
OPH. ADJUNCTO
critissimo,
O Spectabili,
ORE, ac PROMOTORE SUO
I COLENDO,
publicè
IS SELLIEN,
RGENSIS.
embr. Horis pom.
DC. LXIIX.
RIO MAJORI.
is Academici feralis
ica:
*it, multa & melior superat
is, famâ perdurat.*
BERGÆ,
NCKELII, Acad. Typogr.